Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput IX

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

CAPUT VIII.
DE BUBONE & CATARRHACTA.

BVbo in rupibus nidulatur altiſſimis, ita ut ova ejus vix aliquando inventa fuerint. De ejus partu à Plinio traditur, quod cauda ab ovo exeat; quoniam pondere capitum perverſa ova; poſteriorem corporum partem, matri fovendam applicet. Dicitur ſe in templis oleo è lampadibus ingurgitare. Non tantum aves rapit, ſed & lepores. In diſſecto anas repertus eſt. Cerebrum ejus cum adipe anſerino mire vulnera conglutinat. *Catarrhacta* mirum incubandi modum habet, ſi verum eſt, quod *Oppianus* tradit. Algam ſuper petram inſternit ovis, & ventis relinquit expoſita. Hinc mas arripit illa, unde marem procreandum conjicit, fœmina unde fœminam. Tum unguibus in ſublime ferunt comprehenſa, mox mittunt in pelagus; repetitis vicibus calefiunt motu, & excluduntur.

CAPUT IX.
DE COLLURIONE, & CAPRIMULGO.

COllurio in dumetis nidum collocat, cujus parietes ex muſco, lana & herbis tomentoſis, fundus ex erica. In eo pulli ſex inveniuntur, parentibus adeo diſſimiles, ut vix unica nota eoſdem referant. Parum quia volat, cantum aliarum avium imitatur, capit advolantes. Capitur facile. Nam cum caveæ incluſam videt avem, deſuper volat invaſura. *Caprimulgus* paſtorum intrat ſtabula, caprarumque advolvitur uberibus propter ſuccum lactis; qua injuria uber emoritur, capriſque quas ita emulſere oboritur cœcitas. *Plinius l.* 10. *cap.* 40. Interdiu parum videt, noctu perſpicax eſt. *Ariſt. hiſt.* 9. *cap.* 30. In

Creta tam horribilem vocem edit, ut pavorem incutiat incolis. *Bellonius.*

CAPUT X.
DE CUCULO.

CVculus eſt avis frigidiſſimæ corporis conſtitutionis, inde & tam timida eſt, ut ab omnibus aviculis infeſtetur. *Plin. l.* 10. *c.* 9. & alienis pariat nidis, præcipue Palumbi, Curucæ, Alaudæ, Rubeculæ, & Luſciniæ. Si vacuos repererit, non eo divertit; ſi cum ovis, quædam deſtruit & abſorbet, ſua reponit, quibuſdam omnia deſtruere dicitur. *Ariſt. lib* 6. *cap.* 7. Excluſi pulli & ab ave agniti, verberari dicuntur, & avolare ad parentem. Nota autem naturæ bonitatem. In illarum avium deponere eum docuit nidis, qui communi cibo fruuntur. Veſcitur autem vermibus, inſectis, ſed & granis. Cicadæ ante caniculam ubi vocem ejus audiverint, agmine in eam irruunt, ſub alis reconditæ morſus ingerunt & interimunt. *Iſidor. l.* 12. *c.* 8. Ex ſaliva autem illius naſci dicuntur. Hyeme deplumeſcit & colorem mutat. *Ariſt.* 9. *hiſtor. c.* 43. In monte Græciæ Coccygio paliurus naſci dicitur, cui omne animal, quod inſederit, hæret, tanquam viſco retinente, excepto cuculo, inquit *Plin. l.* 30. *cap.* 10. Quo quis loco primo audiat alitem illam, ſi dexter pes circumſcribatur, ac veſtigium id effodiatur, non gigni pulices, ubicunque ſpargatur.

CAPUT XI.
DE CORVO.

ALbos Corvos reperiri in Septentrionalibus & novo orbe, certum eſt. Apud *Alphonſum Ciciliæ Regem*, unus etiam erat. Dealbatum iri aſſerunt, ſi ovum ejus pinguedine vel cerebro felis illitum, gallinæ albæ loco frigido ſupponatur. In agro ubertimo gregatim feruntur, bini infructuoſo. Varias fundit voces,